



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

19. Vndecimus, per Correctionem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

simus ex Cicerone, fingit enim hoc inter cenam accidisse priuato. Eiusdem est illud in Catilinam. Serui me hercle mei, si me isto pacto metuerent, vt te metuunt omnes tui, domum meam relinquendam putarem. Collatione exempli, quoties proposito velut simili exemplo efficitur, vt id quod exaggeramus, aut proximum illi, aut par, aut maius etiam videatur; velut Cicero pro Cluentio, cum exposuisset Milesiam quandam à secundis heredibus pro abortu pecuniam accepisse: Quanto est, inquit, Opianicus in eadē iniuria, maiore supplicio dignus? Siquidem illa cum suo corpori vim attulisset, se ipsam cruciauit: Hic autem idem illud effecit per alieni corporis cruciatum. In hoc genere non solum tota totis, sed etiam partes partibus comparantur, sicut hoc loco pro Milone. An vero, vir amplissimus Scipio, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem temp. priuatus interfecit, Catilinam, orbem terræ eadē atque incendio vastare molientem nos consules perferemus? hic & Catilina Graccho, & status Reip. orbis terrarum, & mediocriter labefactatio cædi & incendijs & vastationi, & priuatus consulibus comparatur. Quæ si quis dilatare velit, plenos per singula locos habeat.

*Nonus per eleuationem grauium.*

CAPVT XVII.

It quoties res atrocissimas qualque in summam ipsi extulimus inuidiam, eleuamus consulto, quò grauiora videantur, que sequutura sunt. Quod genus est illud Ciceronis: Leuia sunt hæc in hoc reo. Metum virgarum, nauarchus nobilissimæ ciuitatis precio redemit, humanum est: Atrocissimum quiddam expectetur necesse est: cui hæc quæ sunt atrocicia, comparata, humana atque vitata videantur.

*Decimus per congeriem.*

CAPVT XVIII.

Amplificamus & congerie verborum & sententiarum, idem significantium, quæ finitima est figuræ *ovvobpavtiov*, de qua prius dictum est. Vtitur hac M. Tullius in actione pro Ligario. Quid enim riuus ille, T ubero, distri&us in acie Pharsalica gladius agebat? Cuius larus ille mucro petebat? qui sensus erat

armorum tuorum? quæ tua mens? oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Hic velut aceruo creuit oratio. Idem fit interim omnibus altius atque altius inturgentibus, vt in hoc exemplo: Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mois terrorque sociorum, & ciuium Romanorum lictor Sextius.

*Vndecimus per correctionem.*

CAPVT XIX.

Amplificamus etiam quasi correctione quadam, vt Cicero in Verrem: Non enim furem sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitie, non facilegum, sed hostem sacrorum religionumque, non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorumque, in vestrum iudicium adduximus.

*Duodecimus per conglobatas definitiones.*

CAPVT XX.

Tale est illud D. Chrysostomi, vbi crucem sic describit: Crux rotius beatitudinis causa, discordiæ amputatio, pacis firmitermentum, bonorum omnium copiosa largitio, salutis indicium, Sol iustitiæ, spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, claudorum baculus, consolatio pauperum, frænum diuitum, euerfio superborum, triumphus aduersus dæmonas, &c.

De istis definitionibus abunde dixi superius. Item ille amplificandi modus fit per epitheta & aduerbia.

*De delectu locorum, & figurarum, ad amplificationem obstermonium.*

CAPVT XXI.

Atque ne tantum ad criminum, & maleficiorum amplificationes tradita ratio pertinere videatur; Si disquisitijs enucleare velis, illinc præstantissimarum rerum excellentem gloriam, illinc virtutum decus, illinc vitiorum turpitudinem, illinc calamitatum atrocem speciem, illinc admirabilium rerum naturas,